

requisitam, nihil deesse declarationibus illis Congregationum, ad fidem certam, atque indubiam etiam in iudicio faciendam, si eas a viris gravissimis citari contingeret: adeoque hanc illis juris fidem ademptam voluit, qua antea fruebantur; alteram quæ facti dicitur, humanaque historiæ est, factam, testamque reliquit: e contrario, ante decretum Innocentii, Acta Congregationum de Auxiliis fidem in iudicio facere nullam poterant; atque ita otiosum & inutile fuisset Decretum Innocentianum, si iudicariam illis fidem duntaxat adimere voluisset, relicta humane historiæ auctoritate. Quapropter necessum est, inquis, ut hanc ultimam illis abstulerit.

Egregium sane Interpretem Canonum, cui sacer Areopagus venerabundus assurgat? Et unde habes, Eleutheri, ante hanc juris solemnitatem ab Urbano præscriptam, fidem indubiam etiam in iudicio fecisse sacrum Romanæ Congregationum declarationes, decreta, decisiones, quæ nec in authentica forma, nec solito sigillo, & subscriptione Præsecti, ac Secretarii munita proferrentur? Aut quis tibi jus novum, ab Urbano eo in capite sanctum, commentus est? Audi, si nescis, primariam facti juris Regulam, cui tota de fide Instrumentorum doctrina incumbit, ex Gregorio IX. longe ante descriptam: (1) Si scripturam authenticam non habemus, ad exemplaria nihil facere possumus, Et illam alteram, ex Alexandro VIII. excerptam: Scripta vero authentica, si rescriptis accesserint, nisi per manum publicam facta fuerint, ita quod appareat publica, aut authenticam sigillum habuerint, per quod possint probari, non videntur nobis alicujus firmitatis robur habere. Tam ergo in iudicio fidem facere nequibant Congregationum Romanarum declarationes, decreta, decisiones, ea juris solemnitate destituta, quam habituram de Divinis Auxiliis disputationum instrumenta, quibus nulla unquam aut juris forma, aut extrema supremi Iudicis manus accessit, Neque tamen otiosa, & inutilia, ut fingis, cum Urbani, tum Innocentii decreta putanda sunt, quod eam illis fidem abstulerint, quam antea non habent: quia hanc illis fidem nonnulli perperam tribuebant, aut certe tribuere per calumniam dicebantur, ut Molinianos aperte traderent: quod ne fieret, Romani Pontifices venterunt. Sed, ut planius, ac simplicius cavillationem tuam elidam, in mero æquivoco positam; fidem illis non abstulere Romani Pontifices, quam haberent; sed quam re ipsa non habebant, non habere, denunciantur; ut delatam, seu vere, seu falso ad sacrum tribunal nonnullorum audaciam coercerent.

Sed quo facilis tuæ illius, in qua delicias facis, cavillationis insultatam, ipsi etiam manibus palpes; quæro abs te, an Acta Congregationum de Auxiliis, ante decretum Innocentianum, fidem historicam facerent, an non? Si fecisse dixeris, (utique quia vera erant, & primigeniis fontibus consona), nulla auctoritate Pontificia fieri subinde potuit, ut minime facerent, suamque veritatem, & cum primigeniis fontibus consensum amitterent, juxta Jureconsulti estatum, *Facti autem cause in se esse nulla Constitutione fieri possunt*, Leg. In bello §. facti. ff. de Captivis, & posthinc reversis. Si autem fecisse neges, otiosum igitur, (ut tua te arguta refellam), atque inutile fuit decretum Innocentianum, quo historica illis, ut communiis, fides adempta est. Id itaque certissime concludendum, Decreta Pontificia veritatem non facere, sed denunciare; fidem-

que Actis illis non abstulisse Innocentium, quam hæcenus habuissent, sed quam re ipsa non habuerant declarasse.

Lepidus longe multo, quod a te ponitur, discrimen alterum, ut petitur a me ex pari Innocentii, & Urbani loquendi formula argumentum elidat. Inquis enim, Faganos, Barbofas, Lezanas, Antoniellos, qui Congregationum declarationes, decreta, decisiones, ex ipsis Codicibus autographis descriptas exhibent, viros graves esse, partium studio vacuos, non pro se scribere, nullos adversarios impetere; fidemque idcirco, ut minimum, probabilem facere, quæ ab ipsis decreta laudantur, etsi requisita, solemnitate defectu, authentica auctoritate careant: at vero in Actorum, de quibus agitur, laudatoribus, rem longe secus accidere. Verum hærentem lateri lethalem arundinem non avellis, sed altius infigis. Non enim id queritur in præsentia, quæ fides Congregationum decretis, aut Romanarum de Auxiliis disputationum Actis tribuenda veniat, spectata personarum, a quibus alterutra laudantur, ac proferuntur, conditione; sed quæ Decretis istis, & Actis sublata auctoritas sit, spectato simpliciter oraculo Pontificio, quo nullam illis fidem a quoquam tribuendam esse, sancitum est. Tu vero, relicto, quo premeris, controversiæ capite, ad alteram divertis, de quo nulla mihi recum contentio fuit. Ad hæc, si ea Innocentiani decreti verbis vis, ac potestas inesset, ut historiæ etiam fidem adimerent; cum paria omnino, immo aliquanto duriora Urbaniano decreto continentur, quo Congregationum declarationes perstrictæ sunt; nulla privatorum scriptorum, declarationes istiusmodi laudantium, spectata probitate fieri posset, ut historiæ fidem facerent. Quæ enim, suprema auctoritate, fide vacuatur, eandem inferiori auctoritate nunquam accipiunt; faciunt autem, ut annuis, cum a viris proberantur: non itaque ea verbis illis Innocentiani, uti & Urbaniani Decreti potestas est, ut humana historiæ fidem eripiant.

Nec tamen Actorum istorum examen detrecto, ex ipsa scriptorum, a quibus laudantur, ac proferuntur, conditione faciendum. Quasi vero nec satis graves, nec satis spectatæ probitatis essent, ut fidem in facti questione ad minus probabilem faciant? Annon tibi, Vir gravis, ac spectatæ probitatis, Serenissimus Princeps de Cony, qui celeberrimum Clementis VIII. Scriptum, quo ita Actorum istorum celeberrima pars, in litteraria cum Jesuita Descampio concertatione laudavit; ejusdemque, ac reliquorum Actorum fidem, adversus Sodalitæ tui cavillationes, ac strophas, erudite defendit? Annon Vir gravis, ac probus, Cardinalis de Nois, qui (2) visam a se, præmissam sacris Congressibus Clementis VIII. Orationem, qua Molinianos tam belle desecuit, ejusdem manu exratam; lætæque ex integro Gregorii Coronelli Acta M. SS., diserte testatur? Annon Vir gravis, ac probus, Illustrissimus D. Philippus Vicecomes, Episcopus Cacacensis, qui hoc idem in Notis ad cap. 4. libri 3. Augustini vindicati testatur reliquit? Annon Vir gravis, ac probus, Illustr. D. Jacobus Boonen, Archiepiscopus Mechliniensis, cujus sunt hæc ipsa verba: (3) Paulus V. Bullam componi iussit, cujus habeo exemplum; & Autographum in Archiepiscopii Pontificii Romæ assertari, fide dignissimi testes affirmant? Annon Vir gravis, ac probus, Illustr. D. Carolus Mauritius le Tellier, Archiepiscopus Dux Rhemensis, qui delineatæ contra Moliniam Con-

sultationis Pontificiæ, in suspenso posita, & in commodiorem tempestatem dilatæ, mentionem habet in celebri Censura anni 1697. Annon Vir gravis, ac probus, Joannes Mabilionius, Benedictini Instituti, ac Reipublicæ literariæ decus ingens, qui visa a se, Romæ dum degeret, omnia Acta Autographa Congregationis de Auxiliis sub Clemente VIII. & Paulo V. profertur in Museo Italico? Annon Vir gravis, ac probus, Carolus Riccius, Angelicæ Augustinienium Bibliothecæ, & Archivi Præsectus, qui recitatam a Coronello coram Paulo V. rerum omnia sub Clemente VIII. gestarum narrationem, a se cum ejusdem Autographo collatam, dato chirographo testatus est? Annon tandem Viri graves, ac probi, (ut Dominicanos silentio mittam,) Carmelita Salmanticensis strictioris Instituti, Jacobus Gibiuffus, Oratorii Berulliani Presbyter, qui jam tum ab anno 1690. nonnulla Actorum istorum fragmenta in Tractatus suos Theologicos transfuderunt? Hos tu Janfenianos de more dices, & sacra etiam Capita familiaria illa infamiae labe asperges; quippe qui Divinorum Auxiliorum Acta, nonnulli a Janfenianis exscribi, laudari, commendari, milles ingeris. Belle sane! Age itaque, & me jam, quod hæc ipsa Acta laudam, plenius buccis Janfenianum appella: per me licet nihil modo convicio moveor: id a te dicitur, quod illis, & mihi, non solum infamia non est, sed gloriæ cumulus.

Nolo tamen mihi quisquam in ea Actorum descriptione, ac recensione fidem adhibeat, sed suis tantum oculis fidat. Primigenios, quos indigito, Codices adeat, meaque in dandis excerptis fidei periculum faciat. Immo nolo, quis solis Actorum Autographis fidem adjungat, sed aliis etiam documentis propemodum infinitis, quæ tota passim Historia recitantur.

Alterum momentum, quo datam Innocentiano Decreto interpretationem confirmaveram, quodque tu elevare aggressus es, ex iis Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, decretis petebatur, quibus prohibita sunt omnes, & quæcumque Collectiones declarationum, decisionum, seu interpretationum Congregationis Concilii, tum impressæ, tum imprimendæ. Quocirca sic observabam: *Quid ita? Nullæ sunt, aut certe possunt esse veræ, ac germanæ hujusmodi declarationum collectiones? Quid, si eas aliquis ex ipsis Congregationis Commentariis peitas typis ederet; idcirco falsæ putandæ essent? Absit. Hæc itaque Romana Curia decreta publicam duntaxat, & authenticam in iudicio fidem eripiunt, non humane historiæ credulitatem.* Addebam, pacis quandoque studio prohiberi libros, nullius licet malæ doctrinæ nota dignos. Jam qua tute arte exolvit? Reponis, rationes quidem esse posse legitimas, cur decisionum Congregationis Concilii Collectiones, ac libri etiam fortassis non mali, imprimi quandoque, ac vulgari prohibeantur; neque similia idcirco falsitatis argui, si constat aliunde, autographis responderi: verum si argumenta suppetunt malæ fidei, si commissæ fraudis indicia sunt, si falsitas ipsa scriptorum repugnantia detegitur; imprudentem illum esse, qui ea pro oraculis habeat, fidemque illis adjungat. Certum id quidem, Eleutheri; at in te ipsum sententiam dices. Eo quippe responso concedis, non ex uno Pontificis interdictione colligendum illico, scriptum falsitatis, atque suppositionis argui, uti ex tuo illo Innocentii Decreto pertinaciter contendebas; sed videndum, an respondeat autographo, an argumenta suppetant malæ fidei, an commissæ fraudis in-

dicia sint. Alias summa quidem, intercedente Pontificis interdictione, auctoritate scripto decideret; at nullam interim suppositionem notam accideret. Quid aliud in præsentia velim ego, aut quid alatis momentis demonstrare aggressus sum? Num autem quæ necessaria fateris falsitatis ac suppositionis indicia, in ea, de quibus agimus, Acta cadant, nequaquam evincis.

Mitto frigidam nonnullas animadversiones, quæ nonnulli conviciandi animum ac iudicii levitatem ostendis: Ut quod Janfenii Librum a me intellectum conjicias, dum libros interdum nullius malæ doctrinæ nota dignos, fovendæ pacis studio, prohiberi, dixi: quod allatas pro tuenda Actorum fide rationes, inanes tandem a me agnitas, suspiceris; quia Historiæ meæ fidem non solis Actis inniti, sed aliis etiam documentis confirmari, significavi. Lepidus tu sane conjector! tanquam quos libros intelligam, productis exemplis non illico declararem: aut forte res, Actis ipsis contentas, nisi depressa eorundem auctoritate, aliis etiam documentis confirmare nequiverim?

CAPUT VI.

De ordine in Historia Eleutheriana servato, necnon de futilibus chartis, quibus verum, illius narrationum, fides adstrui dicitur.

Non Historici, sed professi litigatoris ordinem a te servatum, diximus dato prologo; Nec injuria. Quæ enim malorum litigatorum ars est, ut iudicio victi multa in Iudices convicia jactant; suffragia rationibus destituta, affectibus præcipitata, adverse partis artibus extorta calumniantur; rejecta Instrumenta, contemptos libellos, spretas chartas otiosis lectoribus ingerant; ab inquis tandem, ut ajunt, cognitoribus ad æquos rerum æstimatores, a decreta sententia ad ipsa causæ merita provocent: id tu tota passim Historia facilis. Bone, an malæ causæ præjudicia ista sint, ceteri dixerint: non, quam infelici exitu tibi ista cesserit alea, sequentibus Sectionibus expendemus.

Interea vel ex ipso, quod exhibes, rerum dicendarum brevi specimen, ut & lectori salivam moveas, & nobis in antecessum insulset, facile omnes intelligent, te vix ulla toto passim Opere, nisi exesa rubigine, tela contorquere. Quæcumque enim de primo diffidiorum fonte, de Censuris Belgicis, de turbis, in Hispania, ac Lusitania motis, a te compendio præmittuntur, ut ex ungue leonem nosse liceat; quin illa ipsa, quæ jactas, secretiora Romæ Inquisitionis Decreta, ut te iis in rebus versatissimum, nos vero peregrinos, & hospites probes: hæc inquam omnia, in altero Gallicæ Defensionis Tomo (1) dispecta sunt. De quibus nihil hic in antecessum delibabimus, ne dum in ipsa Historiæ tuæ confutatione ad ea, quæ leviter modo tangis, capita ventum fuerit, eandem cum legentium cruce cogamur materiam retractare.

Sed cui tandem risum non moveas, Eleutheri, dum secretiora tabularia referas, cimelia pandis, ut Instrumenta, quæ rebus a te narrandis fidem faciunt, ambitiosius ostentes. Quam exultus, quam selectus literariæ suppellectilis apparatus! Sunt ipsa, inquis, Manuscripta authentica eorum, qui in hisce controversiis partes precipuas habuerunt, gestaque a se, ac disputata, ad posterum memoriam litteris consignata, transmissiorum. Nimiram (quod aperte, ac distincte dicere renuis) Gregorii

(1) De fide Instrum. Cap. si scripturam, & Cap. scripta. (2) In Viadi. Aug. cap. 6. (3) Vide part. 2. Gallicæ Defens. c. 1.

(1) Le Correcteur corrigé.

gorii de Valentia, Ferdinandi de Bastida, Petri Arrubal, Christophori Cobos, aliorumque Sociorum, qui Molinianam causam orarunt, quætionibus, libelli supplices, & recitate ad cœtum Theologicæ tractationes. Hi tibi atticæ fidei testes, de quibus simplicius, ac meliori fide, dixerat concellita tuus, Gabriel Henao, Protest. 1. ad Scientiam-Mediam, Theologicæ defenfatam, Num. 62. *Acta conscripta in favorem nostrum nulla extant, sed solum orationes, seu declamationes recitate a Valentia, Arrubale, Bastida, super punctis, prescriptis a Clemente VIII. & Paulo V. Jam quæ audacia illa est, nolle Gregorii Coronelli, Congregationum Notarii, ab Apostolica Sede dati, Jacobi Boffurii, inter Consultores admissi, Francisci Pegnæ, Rotæ Romanæ Decani, A. A. Codices, Narrationes, Epistolas, ad eorum gestarum fidem admittere, quod in Societate male animati fingantur esse; ipsorum vero Sociorum quætionibus, tanquam sibyllæ folia, aut Apollinis Pythii Oracula venditare? Quamquam si fidem integram facerent, nemo iis, nisi mancam, ac mutilam historiam superstrueret; cum Theologicas unius duntaxat partis defensionis ut us maxime complectantur.*

Pergis, exultam tabularii tui supellecilem explicans: *Sunt Principum, Regum, Imperatorum, missæ ad Romanos Pontifices ista etate Epistole; quibus, quid in suis divisionibus doctissimi quique homines de hac controversia senserint, indubitata Majestatis fide restantur.* Immo sunt Principum, etiam foeminarum, nihil in istiusmodi Controversiis intelligentium, Epistolæ commendatitiæ, a Molinianis extortæ: quarum alias a Clemente VIII. nauci habitas, atque rejeftas; alias viriatas, atque interpolatas, ostendimus Tomo 1. Gallicæ Defensionis, (1) ac tum hic in Historia, lib. 1. cap. 13. & lib. 2. cap. 27. Quæ porro, in ferendo de lite iudicio, commendatitiis etiam Principum litteris danda fides? Cum eas il soli precibus ambiant, qui in perditis, ac desperatis negotiis habent.

Sunt præcipuarum Europæ Academiarum, Hispaniæ, Galliæ, Italiæ, Germaniæ, Lotharingiæ iudicia, atque censuræ, pro alterutra litigantium parte data, Romanique varisuisse! Scilicet superba ostentatione Hispanicarum Academiarum iudicia iactas, quarum longe plures, ac nobiliores secundum Scholam Thomisticam decrevere; nonnullæ temere vocantur in censum; quædam, falsatis censuris, atque sententiis, proferuntur. (2) Patiensis Academiæ nomen ostentas, cujus iudicium nullum extat, aut fuit unquam: Bononiensis, cujus re vera non est, quæ obruditur, Consultatio: Dilinganz, Græcensis, Moguntinæ, Trevirensis, Herbipolensis, Ingolstadtensis, Viennensis, Mustipontanz; quæ nil nisi Societatis Collegia sunt, Academiæ titulis aucta; quarum idcirco Censuris Jesuitæ ipsi, dissimulata professione, subscribunt, domesticæ causæ iudicium affectantes.

Sunt Nunciorum Apostolicorum Edicta hujus Controversiæ occasione promulgata. Quorum videlicet alia nulli dissidentium parti favent; alia in contrarium, ac repugnantem omnino sensum a te, cuique accipiuntur; nonnulla corrupta, ac mutilata recitantur; quædam etiam in irritum Romanæ Curie iudicio missa sunt.

Sunt Cardinalium, & Episcoporum Litteræ, de eadem Controversia ad Pontificem scriptæ. Quales nimirum paulo ante Principum Litteras diximus; quæ Clementem in Societatem, corradendis undecumque commendationibus intentam, summo-

pere commoverant. Quo in genere quid tui valeant, quibusve artibus adiutur, plus facis in nuptera de cultu Sinenfium mota lite, universus Orbis expertus est.

Sunt Regionum Consiliorum, ac Magistratum 107 Simonia, quibus, quid a partibus actum sit, publica Notariorum fide declarantur. Hoc est, Castellæ, & Aragoniæ Edicta, quæ publicandæ Moliniæ Concordiæ, ut primum lucem aspexit, veniam fecerant. Quod tu verbo ambiguo dicere maluisti, ut qui Historiam tuam ex integro lecturi non erant, ex hac una delibata Præfatione suspicarentur, velle te, quæcumque in hac prægravi concertatione a partibus acta sunt, ex Regionum Consiliorum, ac Magistratum relictionis, publica fide recognitis, enarrare.

Sunt, inquis tandem, Doctissimorum Virorum lucubrationes, de hac Auxiliorum concertatione olim scriptæ, quæ nunc primum lucem aspiciunt. Nempe, ut antea præmoneram, Leonardi Lessii, Gregorii de Valentia, Ferdinandi de Bastida, Petri Arrubalis, Christophori Cobos, aliorumque Sociorum quætioniones, quos tuncis, ac blattis alendis multo melius reliquisses.

Ita tu quietas tuas ad speciem, & pompam ostentas, ut Historiam absolutissimam scribere videaris: ad quas tamen si quis tantisper intenderit animum, facile deprehendet, te iis duntaxat præfidiis munitum, (est calumniandi, fallendique deesse animus) nonnisi viciolam, sive potissimum parte diminutam, Historiam edituram. Nihil quippe tuæ illæ congestæ chartæ de partis alterius instrumentis habent; nihil de datis ad Moliniæ Scripta responsis; nihil de momentis, ultro citroque inter disputandum ex tempore additis; nihil de Pontificis disputatoribus interloquentis gravissimis sententiis; nihil de Consultorum suffragiis, atque Censuris; nihil de illorum Congressibus ad ferenda iudicia celebratis; quæ omnia potissimum agitata Controversiæ partem conflant. Eaque idcirco ratione factum, (quod tuis aliunde commodis servit), ut aridis Scholæ tuæ Magistrorum declamationibus paginas impleas; dataque interim responsa aut fileas omnino; aut, quod a me in Historia insinuat fuerint, brevi verbo perstringas: prolixis Molinianorum Oratorum Tractationibus lectores defatigas, lataque de iisdem iudicia aut præmittas ex integro, aut, si prætermitti nequeant, contemnas, rideas, nauci facias.

Et tamen quam grande tuis illis, quæis Historiam superstruis Instrumentis, pretium facis! Quam integram illis fidem adjangi vis, ac etiam iubes? Quam serio lectores admones, ut si quis de iis antiquitatis monumentis dubitandum putet, is meminere, nullius habentis Romani Auctoritate Pontificis declaratum esse, nullam ex omnia fidem mereri! Machæ igitur animo, Eleutheri, & Rabellai etiam fabulas, aut jocularis Quiciorii eventus Historiæ tuæ necesse: ac si quis de iis dubitandum putet, id quoque admone, ut meminere, nullo Romani Pontificis Edicto cautum esse, ne quis illis fidem adjungat. Quamquam & hoc ipso graviter erras, quod necias, tuas illas, quibus paginas impleas, Molinianorum Actorum Orationes, Coronelli Actorum partem consistere; quibus nullam, ut toties objicis, omnino fidem haberi, solemnè Decreto vetuit Innocentius X.

SECTION

(1) *Response aux questions import. 1. quest. chap. 16. (2) De his plenius infra Sect. 3. c. 3.*

SECTION SECUNDA.

Dispungitur Eleutherianæ Historiæ Liber Primus, quo Controversiarum istarum originem, turbamque Belgicarum iustitiam detegere, & enarrare, Auctor aggreditur.

CAPUT PRIMUM.

Falsa Controversiarum de Divinis Auxiliis origo ab Eleutherio posita: futilia ejusdem contra veram a nobis assignatam originem Argumenta.

Quod viris, ludum præbentibus, familiare est, ut primo fabulæ actu, specioso choragio spectatorum oculos paciant, id tu in danda Auxiliorum Historia sciendum existimasti; dum primam Controversiarum istarum originem ab iis turbidinis petisti, quos nonnulli Prædicatorum Ordinis Professores in nascentem, ut loqueris, Societatem excitaverunt. Grande scilicet spectaculum visum est, quo primo statim ingressu lectorum animi moveretur.

Falsa, an vera narres, non juvat diligentius inquirere. Satis mihi sit paucis observationibus demonstrare, hæc a te livore malo reficari; perperamque, & inficere, uti certam Controversiarum istarum originem, poni. 1. Quia, in eodiversis nascentem Societatem excitato turbine, non de Scholæ quætionibus, multoque minus de Divinis Auxiliis, aliique finitimis Controversiis agebatur; sed de religiose vitæ Instituto, de forma vovendi, de arrogato sibi nomine, de disciplina, de regulis, aliisque rebus, ad mores attentibus, tota lis erat. 2. Quia ea paucorum e nostris quærelæ fuerunt, a Præpositis Generalibus, ut ipsemet probas, repressæ, & improbatæ: cum contra, de Divinis Auxiliis mota lis, a Præpositis, in causam subintrantibus, publico totius Ordinis nomine, fuerit agitata. 3. Quia probrofe illa, quas recitas, in nascentem Societatem criminationes, turbæ, quærelæ, non a nostris duntaxat prodire; sed a florentissimis etiam Academicis, supremis Curis, Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque primæ notæ viris, quos minus propitia de nascente Instituto, iudicia tulisse, turbasque in vestros gravissimas exciassæ, Orlandinus, Societatis Historicus, narrat, lib. 2. num. 49. lib. 11. num. 57. lib. 12. num. 54. & 60. lib. 15. a numero 33. ad 45. Quid ergo ea nostros, si quæ fuit, invidia peculiariter oneras? Aut quid inde Controversiarum de Auxiliis originem deducis?

Non alia ergo quærenda Controversiarum origo, quam quæ a nobis dicta est, interpolata prima a generali Congregatione, tum aperte concussa tenendæ D. Thomæ doctrinæ lex, susceptumque accommodatoris Theologiæ in Scholæ invendæ consilium. Hinc etenim, perfracto repagulo, orta opinandi licentia, novaque humane libertatis, & gratiæ concilio, amula contentione a vestris excogitata.

Occurris, nec sine stomacho reponis, Declarationem marginalem ad Caput 12. Partis 4. Constitutionum vestrarum, (unde Ignatianam legem primigeniam, speciosæ interpretationis obtentu, a tuis concussam, ostendi (1)) Ignatii ipsius esse, non Congregationis generalis, cui hæc per errorem affixi, ut cavillandi, & insultandi occasionem arripere. Quod ut lectoribus planum facias, Congregationis ipsius verba representas, Serry Tom. II.

quæ liquet, autographum declarationum, quibus suas ipse Constitutiones Fundator exposuerat, in Patrum confesso post ejusdem obitum celebrato, prælectum esse, probatumque exemplum, ex illo descriptum, quo demum typis edi posset. In hoc porro, inquis, (2) Ignatii Autographo, hæc ipsa, quæ audacius arrosi, verba leguntur: *Sed si videretur temporis decursu, alius Auctor studentibus utilior futurus, ut si aliqua summas, vel liber Theologiæ scholasticæ conficeretur, qui his nostris temporibus accommodator videretur, gravi cum consilio, & rebus diligenter expensis per viros, qui in ipsa Societate aptissimi existimantur, cum Præpositi Generalis approbatione prælegi poterit.* Hispanice vero, eadem littera B. sic legitur: *Perd si por tiempo pareciere, que de otro Autor se ayudarian mas los, que estudian, come seria haziendose alguna summa o libro de Theologia escolastica, que parezca mas acomodada a estos tiempos nuestros, con mucho consejo, y muy miradas las cosas per las personas tenidas por mas aptas en toda la Compania, y con aprobacion del Præposito General della, se podrá leer.* Ita, si te audimus, memoratum sanctissimi Fundatoris Autographum. Ac ne quis de citati a te transumpti fide dubium moveat, atticæ fidei testem producis, editumque Instrumentum representas: Superiora verba Hispanica tum Constitutionis, tum declarationis habentur omnia in M. SS. Originali, quod hic in cubiculo Patris Secretarii servatur, quod ipse legi, & cum prædictis consuli. Romæ die 22. Aprilis 1700. subscriptum erat, JACOBUS DE LA FONTAINE.

Quis non ad hæc obtumescat? Quis contra mufret? Atqui ego fidentius multo, quam antea, contendo, hanc ipsam Declarationem, in controversiam adductam, Congregationis verius esse, quam Ignatii; reque, testemque abs te producum, pessimæ fidei postulo: Non quod Declarationum Autographum, quibus suas ipse Constitutiones Vir sanctus exposuit, in Congregatione demum generali, ut prælo subijci posset, perlectum, probatumque, negem; sed quod illa ipsa, de qua hic agitur, Ignatii Declaratio, antequam typis edita Declaratio, Congregationis emendata, seu verius corrupta fuerit; iis Sancti Viri verbis expunctis, quæ rei summam consciebant, omnemque de rejicienda D. Thomæ doctrina suspensionem amovebant. Quo fit, ut, qualis nunc legitur typis edita Declaratio, Congregationis censenda sit, non Ignatii. Non aliunde assertionis hujusce mee præsidium, ac fundamentum accessio, quam ex ipsamet Congregatione generali, quæ uti lectum, probatumque sancti Patris Autographum narrat, ita etiam emendatum, correctumque significat, Tit. 3. cap. 53. ubi ita legere est: *De verbis autem quibusdam Constitutionum propositum fuit. Cum Pater sanctæ memoriæ Ignatii commisisset tribus Patribus, quorum duo Congregationi intererant, ut, salvo sensu, verba, prout eis videretur, immutarent; an rata ea essent habenda, quæ, eo vivente, mutata fuerant in Originali Exemplari; quia non constabat, an ab eodem Patre Ignatio recognita fuissent: Visum est, deputandos esse tres, qui viderent, & expenderent, & referrent ad Congregationem, quid de hujusmodi verborum immutatione sentirent: & hi fuerant Doctor Baptista de Parma, & Doctor Christophorus Madridus, cum Magistro Joanne Palanco, qui commissio sibi munere functi sunt. Actum est etiam de aliis verbis, quæ immutanda quibusdam videbantur, quia in quibusdam eorum videbatur error calami irrepisse: & sigillatim proposita fuerunt; & sunt, quæ sequuntur &c. Tum notatis ad varias Autographi declarationes Theologorum deputatorum*

(1) Lib. 1. C. 1. (2) In Declarat. margin. L. B.